



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3 Quid egerit Christus, quamq[ue] viurendirationem, cum parentibus
tenuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

SECTIO III.

Qui vegerit Christus, quamque viuendi rationem cum parentibus tenuerit, usque ad trigessimum ætatis annum.

DE toto hoc tempore vitæ Christi Domini nihil certi habemus præter nonnulla valde generalia capita, quæ ex Scripturis colliguntur. Primum est, Christum hoc tempore habitasse in Nazareth cum parentibus suis. Hoc colligitur ex Luc. 2. ubi expressè hoc asseritur de tempore usque ad duodecimum ætatis annum; de reliquo verò solum dicitur, Et descendit cum eis, & venit Nazareth, Et infra, Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Si autem cum his coniungantur, quæ statim capitulo tertio idem Euangelista scribit, Anno autem quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris, &c. Satis indicatur, usque ad illum annum permansisse in Nazareth, ratione quæ viuendi in superiori capite descriptam tenuisse, hoc est, non solitariam, nec ab hominum consuetudine remotam: sed veluti communem & ordinariam in exterioribus. Ita Abul. Matthæi 13. q. 79. qui aduertit Christum vocatum esse Nazareum, quod maiorem vitæ partem Nazareth transigisset, cur autem hoc vitæ genus in ea ætate elegerit dicemus infra, quæstionem quadragesimam explicant.

Hinc intelligimus eo tempore pauperem vitam Christum duxisse, quia parentes eius pauperes fuerunt, ut ex Euangelio colligitur: tum ex iis, quæ de Natiuitate Christi narrantur: tum ex iis, quæ dicuntur de Purificatione Virginis, & de oblatione ab ipsa facta, quæ pauperum propria fuit (ut ibi notauimus) tum etiam ex iis, quæ dicuntur de fabrilis artē, quam Iosephus exercebat, quæ accommodata est homini pauperi. Vnde Chrysostomus homilia 67. in Matthæum. Regulus, inquit, nobis præbuit, ne maiora, quam necessarius vixus exigeret, requiramus. Ita quæ quando nascitur, non magnificas ades, non locupletem matrem, sed pauperissimam, & sabro desponsatam elegit. Et similia habet Basilii libro de constitutionibus monasticis capite quinto, cuius verba paulò inferius commodius referemus. Ac denique Origenes homilia octaua in Leuiticum, agens de oblatione Virginis in templo, In hoc, inquit, ostenditur, verum esse illud, quod scriptum est, quia Christus Iesus, cum dñes esset, pauper factus est, & matrem, de qua nasceretur, eligi pauperem.

Secundò hinc colligo, quamquam Christus hac ætate pauperem egerit vitam: non tamen adeò inopem, ut è mendicato vineret; an vero hunc modum viuendi postea sponte assumpserit, quando ad prædicandum progressus est infra dicemus. Ratio verò cur de illo tempore id asseramus, in promptu est. Quia eo tempore in domo parentum, & eorum bonis, vel laboribus alebatur, vnde Hieronymus epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, Usque ad triginta, inquit, annos parentum paupertate contentus est. Non ergo opus fuit victum mendicare: neque enim putandum est parentes Christi adeò inopes fuisse, ut aliorum elemosynis viuere (ut heretici huius temporis non in laudem, sed in Virginis contemptum falsò, & sine vllò fundamento confingunt.) Nam in primis ex Scriptura sacra habemus Iosephum fabrilis artē exercuisse, non solent autem huiusmodi artifices mendicare, neque elemosynas exhibere. Deinde supra disputation. 2. section. 1. & 3. Sanctos Patres retulimus asserentes parentes Virginis honestæ fuisse conditionis, & Beatam Virginem fuisse vngenicam, & heredem, & idè nuplisse viro eiusdem tribus, & familiæ, quin potius antenotat Nicephorus libr. 1. Rector. capite tertio parentum. Suarez. Tom. 2.

Ates Domini rediisse Nazareth è Bethlehem, post Christi natiuitatem, propter eam, quæ tibi eis erat, substantiam, & possessionem, vtrique enim, inquit, habitabant, quod vtroque loco prouentum aliquem, (ut conjicere Euseb. licet) haberent. Denique Eusebius Emislenus homil. 1. in Natiuitat. Virgin. Mar. Manifestum, inquit, est, Beatissimam Virginem Mariam, quæ nobilissima hæres parentibus suis in hereditatem successerat (si quidem neque fratres habuit, neque habuisse legitur) neminem de alia tribu coniungem accipere potuisse. S. d. fortasse dicitur eam non habuisse hereditatem. Lige ergo in Leuitico, & inuenies, quod nemo hereditatem suam ex toto vendere poterat, et si vñ eius vendere potuisset. Veniente namque in iudea omnis hereditas ad proprium Dominum reuertebatur, quomodo ergo sine hereditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parentibus orta fuerat? Itaque licet non essent diuites Maria, & Ioseph; non tamen adeò inopes existimandi sunt, ut sine aliorum subsidio paruum familiam suam alere non possent. Neque decebat Sanctissimam Virginem talis egestatis modus, ac viuendi ratio. Neque etiam ad virtutis, ac Sanctitatis perfectionem fuit necessaria, neque conueniens, saltem pro eo tempore, quo in statu matrimonij vitam priuatam, & in exterioribus rebus communem agebat. Et eadem ratione non oportuisset, Christum, saltem pro illo tempore hunc paupertatis modum assumere.

Hæc verò generatim intelligenda sunt, ut casus speciales excipiamus. Nam de tribus illis diebus, quibus Christus annum agens duodecimum à parentibus abfuit. Bern. Bonau. & alii, qui de illo mysterio scribunt, probabiliter credunt, Christum è mendicato vixisse. Et idem aliqui contemplantur de tempore, quo in Ægypto peregrinabatur, quod accidere fortasse inter dum potuit, incertum tamen est an factum fuerit.

Secundum caput est, Christum duodecimo ætatis anno in die solenni Paschæ venisse cum parentibus ad Ierosolymitanum templum, consummatissimè quæ diebus festiuitatis, parentibus id ignorantibus, Ierosolymis remansisse; post triduum verò inuentum fuisse in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, ita ut omnes stupere super prudentia, & responsis eius. De quo mysterio, quia quæ ad scholasticum institutum pertinent, supra dicta sunt disput. 3. sect. 3. idè hoc loco solum adiciamus: primò ex hac historia colligi, quod Lucas Euangelista capit. 2. dicit, Et ibant parentes per singulos annos in Ierusalem in die solenni Paschæ, etiam de Christo intelligendum esse. Nam statim de anno duodecimo subdit, Ascendentibus illis, consummatissimè quæ diebus, cum redirent, remansit puer Iesus. Vbi dicit puerum remansisse, quem antea non dixerat apertè cum parentibus venisse. Vult ergo intelligi, filium nunquam separari à parentibus solere, præsertim in operibus religionis, & pietatis, & idè sub verbo illo, Ascendentibus illis, filium etiam fuisse comprehensum, ergo similiter in prioribus verbis, cum dicuntur parentes soliti esse ascendere per singulos annos, de Christo etiam dictum esse, intelligendum est. Secundo obseruandum est, voluisse Christum (ut Ambros. notat libr. 1. in Lucam) à duodecimo ætatis anno sumere lux disputationis exordium, suæque eximie sapientiæ indicium dare, & quasi radium quendam sui splendoris emittere, ut ab ea ætate, in qua perfectum rationis iudicium incipere solet, sese paratum ostenderet ad iussa Patris implenda, & ut Iudeorum animos aliquo modo excitaret, ac disponeret, ut postea doctrina eius non omnino noua videretur, neque ipse repente omnino Doctor prodiret, sed recordari possent eum à tenera ætate, magnum sapientiæ suæ specimen illis exhibuisse. Cetera videri possunt in expostitoribus Euangelij, legi etiam potest Baronius in Annalibus, Baron.

anno 12. nam quæ adducit, historiam illustrare possunt.

Luc. 2.

Tertium est, quod Lucas subdit capit. 2. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis* Ex quo verbo colligunt sancti Patres, Christum Dominum toto hoc tempore coluisse, & obediuisse parentibus suis, ut eleganter notat Hieronymus epistol. 47. de vitando suspecto contubernio, cuius verba supra retuli agens de dignitate sancti Iosephi.

Hieron.

Basil.

Adducit etiam, eos in rebus domesticis iuvisse, & præsertim sanctum Iosephum, quandiu vixit in arte fabrilis. Vnde Basilus in constitut. Monasticis capit. 5. cum prima, inquit, sua ætate, parentum suorum imperio esset subiectus, & labores corporis omnes apud unum cum ipsis animo illi obediens toleravit. Verisimile est enim cum ipsis animo illi obediens toleravit.

Obedientia cum homines illi essent & iustitia, & pietatis cultores: tenues tamen, solutos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum queritare. Porro Iesus cum his (ut divina litera prædicant) esset subiectus, sine dubio in perseverandis etiam unum cum ipsis laboribus, moderatam declarabat suam obedientiam, & similia ferè habet Iustinus dialogo contra Tryphonem, & reuelatum fertur sanctæ Brigittæ libro 6. reuelation. capit. 18. Ex quo verisimile est etiam post mortem Iosephi (diximus enim supra probabile esse eum, ante trigelimum Christi annum mortuum fuisse) Christum Dominum per se solum in ea ætate fabrilis artem exercuisse, ut se, ac Beatissimam matrem suam aleret. Vnde Marc. 6. dicebant de illo Iudei, Nonne hic est fabri filius Maria? &c. Quod verbum licet conuincat, potuit enim sic appellari, vel ob vulgi existimationem, vel quia erat filius fabri, ut putabatur, sicut ibi Chrysostomus & Iansenius notant: nihilominus adiuncta ratione, sumitur inde verisimile argumentum nam ut ibi Caietan. notat, cum eo tempore literis non vacaret, (ut patet ex aliorum verbis & admiratione, quomodo literas sciret, cum non didicerit?) credendum esse, arti fabrilis operam dedisse, ne vagus, & otiosus videretur. Et idem considerauit idem Caietan. infra q. 40. in prin. & ante illum sanctus Bonau. in li. med. vitæ Christi c. 15. ac ferè omnes, qui vitam Christi Domini describunt, vno excepto Simone de Casli. 4. de vita Domini c. 2. qui oppositum indicat sine fundamento.

Iust. mart.

Fabrilis artem Christi erga suos exercebat.

Marc. 6.

Caietan. Bonauent.

Quartum est, verbum illud eiusdem Euangelistæ Luc. capit. 2. *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Quæ verba in primo tomō huius materiæ, agens de gratia, & scientia Christi fusè tractaui, & ex positionibus ibi datis intelligi potest his verbis descripsisse Euangelistam summam perfectionem omnium, ac singularum actionum, quas Christus toto hoc tempore exercuit. Apud Deum enim erant excellentis meriti, & coram hominibus etiam summa prudentia, & honestas in eis elucebant. Nec prætermittendum existimo, quod cum Euangelista in eo capite bis indicet hunc Christi profectum, diuersis tamen verbis illum describit. Prius enim agens de ætate Christi ante duodecimum annum, Puer, inquit, crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Vbi nullam mentionem facit de profectu, nisi quoad ætatem, de sapientia autem, & gratia solum dicit, fuisse illis plenum. Nam cum in his nunquam creuerit in se, sed solum quoad ostensionem, & manifestationem per operationes, quas in ea ætate coram hominibus non ita demonstrabat, idè tunc non dicitur in his creuisse, sed his fuisse plenus. At postea agens de illo in grandiori ætate, Proficiebat, inquit, sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines, quia toto eo tempore maxima virtutis, ac sapientiæ opera perficiebat, & in eis quodammodo augebatur, vel in multitudine & excellentia operum, vel in demonstratione, ac ostensione suæ virtutis. Scio priora verba à multis accipi in eodem sensu, quo postero-

ra. Quia in Græco dicitur, & confortabatur spiritus quam particulam spiritus ferè omnia exemplaria Græca habent, licet in vulgata Latina desit: & ita legunt Theophylactus & Euthymius, & interpretantur de augmento in extensione spiritus, & virtutis, & in robore ad vincendam omnem malitiam. Illud autem verbum, Plenus sapientia, si ad verbum è Græco reddatur, idem significat, quod implebatur sapientia: Participium enim *πληρυνόμενος* de præsentis est, & prædictam propriam significationem habet, ut ijdem authores interpretantur, & Cyrillus, ac Origenes statim citandi: quæ lectio, & interpretatio probabilis quidem est, prior tamen, quam adduximus, non est omnino reiicienda. Nam in primis illa particula, spiritus, etiam ab antiquioribus Patribus Græcis videtur prætermissa, ut aperte colligitur ex Origene, homilia decima octaua, & decima nona in Lucam, & clariùs ex Cyrillo Alexand. libro. 2. de fide ad Reginas ante medium, ubi illud verbum & confortabatur, ad corpus refert, his verbis exinantiōni quidam verè conuenire asserimus, cum corpore incrementi susceptionem: tum corpulentarum quoque partium consolidationem, & confortationem. Et eodem modo legit, & exponit hunc locum S. Vigilius, libro 4. contra Euthychem, circa finem, & Gaudentius Brixienensis in responsione ad Paulum Diaconum, de his verbis, Pater maior me est. Aliud autem verbum, plenus sapientia, licet iuxta vim verbi Græci, supra dicto modo verti possit, tamen etiam admittit vulgatam lectionem, & significationem. Vnde B. Vigilius lib. 3. contra Euthychem, versus finem ita citat hunc locum, puer autem crescebat, & confortabatur repletus sapientia. Denique (ut cumque legatur) res, de qua agimus, satis constat, voluisse scilicet Euangelistam docere Christum, in quo gratia, & sapientia Dei singulari modo semper habitauit, toto illo tempore eximia gratiæ, & sapientiæ opera exercuisse, & unum cum corporis incremento (ut Cyrillus supra dixit) sapientiam illius, & gratiam quotidie magis, magisque foris sese prodidisse.

Theophyl. Euthym.

Cyrill. Alexand. Origen.

S. Vigil. Gaudent.

Quintò & vltimò addere possumus, verbum illud Ioannis secundo. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilee, & manifestauit gloriam suam.* Nam ex hoc loco colligunt Patres, Christum toto hoc ætatis suæ tempore miracula non edidisse; Quidam enim exponere voluerunt illud fuisse primum signum factum à Christo in Cana Galilee: non verò primum simpliciter. Quam expositionem refert Chrysostomus hom. 22. in Ioan. & licet non probet, non tamen reiicit. Tamen reuera non est verisimilis quia Euangelista nō dicit hoc esse primum miraculum factum in Cana Galilee, sed simpliciter dicit hoc fuisse initium signorum Iesu, & hoc initium dicit factum esse in Cana Galilee; deinde subdit, & manifestauit gloriam suam, indicans antea non illam manifestasse per signa, & miracula. Denique quid referebat, quòd illud miraculum esset primum in illa ciuitate? vel cur potius adnotatum esset ab Euangelista primum miraculum in Cana factum, quam in aliis ciuitatibus? Sensus ergo planus est, illud miraculum fuisse initium signorum, quibus Christus cepit suam gloriam manifestare, & discipulorum fidem sibi conciliare. Propter quod dixit de Christo Tertullianus libro de baptis. capit. 9. *Prima rudimenta potestatis suæ vocatus à nuptiis aqua uisificatur.* Eandem sententiam latè probat Epiphanius hæresi 51. Ita etiam exponunt Ambrosius sermone 19. Diuus Thomas infra quæstion. 43. artic. 3. Theophylactus & Euthymius ibi & inclinat magis Chrysostomus, qui tanquam certius affirmat Christum ante baptismum miracula non edidisse; quod latius confirmat homilia decima sexta in Ioannem, dicens, signa illa, & miracula, quæ de Christi infantia referuntur, vera non esse, & optimas congruentias adducit, ob quas non de-

Ioan. 2. Initium miraculorum Christi quādo.

Chrysost.

Tertullian.

Epiphani. Ambros. D. Thom. Theophyl. Euthym. Chrysostom.

Miracula
in infantia
de Christo
var non e-
lita.

Gela. Pap.

Iren.
Euseb.

non deuit Christum in ea etate miracula facere. Primo, quia cum nondum doceret, nec discipulos haberet, non indigebat miraculis, miracula enim sunt ad doctrinam confirmandam. Deinde, quia si ante etatem conuenientem miracula ederet, vel phantasma putaretur, vel ante conueniens tempus morti traderetur. Denique quia oportuit prius manifestari à Ioanne Baptista, sicut ipse dixit Ioann. 1. *Vt manifestetur in Israel, ego veni in aqua baptizans*: ergo signum est antea non fuisse miraculis manifestatum. Quod tamen intelligendum est, de miraculis ab ipso Christo factis in sui manifestationem, ita vt ipse ostenderet se esse authorem eorum: quod ideo dico, vt excludam mira illa opera, quæ in Christi infantia parata sunt. Nam in illis ex modo, quo fiebant, non ostendebatur ipsum puerum esse authorem eorum, sed à Deo fieri singulari amore, & beneuolentia erga illum. Relinquitur ergo Christum ea etate priuatum vitam egisse, & reliqua omnia, quæ ab eo tunc temporis gesta dicuntur, incerta esse, & apocrypha, vt Gelasius Papa docuit in capitulo Sanctæ Romanæ, decima quinta dist. de quibus videri etiam potest Irenæus libro primo contra Hæreses capite decimo septimo, & quæ ibi Feuadentius notat. Ethæc de infantia, & priuata vita Saluatoris sufficiant, quæ hoc loco intermittenda est, vt quæ de B. Virgine dicenda superiunt, autem quam ab illa separemur, compleamus.

DISPUTATIO XVIII.

In quatuor Sectiones distributa.

De perfectione meritorum, & gratia Beata Virginis.

Intinimus in principio huius materie triplicem Virginis sanctificationem, & solum primam explicuimus (quoniã de illa fere sola Diuus Thom. quæstio. 27. differuit) superest igitur, vt de secunda, quæ per totum illius vitam durauit, ac demum de tertia, quæ in fine vite illi in præmium data est, sermonem instituamus. Quoniam verò secunda sanctificatio per propria merita potissimè facta est, & cum illa coniuncta fuit aliorum donorum gratia, scientia, ac sapientie perfectio, de his omnibus hoc in loco disputabimus eodem fere ordine, quo in priori tomo de huiusmodi donis animæ Christi collatis differuimus. In præsentem autem disputationem solum de meritis ac perfectione gratiæ sanctificantis, quam Beata Virgo obtinuit, in sequenti verò de donis scientiæ, & sapientiæ, postea de gratiis gratis datis dicemus.

SECTIO I.

Verum Beata Virgo, toto tempore vite sue potuerit in gratia crescere per propria merita.

Post primam sanctificationem, Beatam Virginem suis meritis ac operibus magnum gratiæ augmentum consequutam esse, compertum est. Diximus enim supra non fuisse à principio Beatam sed viatricem: gratia autem viatoris augeri potest per bona opera (vt fides docet) quanto ergo Virginis opera fuerunt meliora, tanto vberius gratiæ augmentum per ea mereri potuit, quod euidentius ex dicendis constabit. Solum igitur disputari potest, an hac potestas merendi, & augendi gratiam durauerit in Beata Virgine toto tempore mortalis vite. In qua re neminem inuenio, qui negauerit potuisse Virginem crescere in gratia vsque ad filij con-

ceptionem, quia eo tempore potuit semper ad maiorem perfectionem tendere, & ex fide & charitate magis, ac magis operari, & nunquam vltimam perfectionem gratiæ consequuta est, quamdiu filium non concepit. Vnde Gabriel Angelus, qui eam gratia plenam appellauerat, deinde subiunxit, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, vt nimirum *superimpleret eam* (vt Bernardus dixit) id est, vt abundantiori gratia, & sanctitate cumlaret, vt ceteri Patres exponunt. Videantur, quos in primo tomo citauimus, disputatione octaua, sectione septima & octaua, dum tractarem, quomodo Beata Virgo meruerit esse mater Dei, condignam illi dignitati dispositionem merendo: totum enim illud meritum incarnationem filij antecessit.

De tempore autem ab incarnatione filij vsque ad mortem fuit quorundam opinio, Beatam Virginem non potuisse amplius mereri, neque in gratia crescere. In hanc sententiam, quamuis cum timore inclinat Scotus in 4. distinctione 4. quæstione sext. ad quinrum, Almain. in 3. distinctione, 3. quæstione 3. Possunt etiam citari Richardus ibi articulo primo, quæstione quarta, & Alensis 3. parte quæstione 9. memb. 3. articulo secundo, §. secundo, ad primum, quatenus dicunt Beatam Virginem post conceptionem filij non potuisse peccare, quia erat in statu plenæ gratiæ, & perfectæ charitatis. Et Diuus Thomas supra, quæstione 27. articulo quinto, ad secundum, quatenus dicit gratiam Virginis fuisse consummatam in conceptione filij, & Diuus Bernardus in sermone 51. de conceptione, qui dicit Virginem in filij conceptione, accepisse tantam gratiam, quantum accipere potest viatrix creatura, ac denique Damascenus orat. 1. de dormitione Deiparæ, vbi ita loquitur, *Mors enim eos, id est, alios sanctos, perficit, beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minime tamen hoc in te usurpabimus, neque enim mors tibi beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliauit. Omnium etenim bonorum initium, medium, & finis, securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte conceptione posita fuit.* Fundamentum huius sententiæ solum esse potest, quia de cuius Beatam Virginem ad concipiendum filium perfectissimè præparari, ac disponi, ergo verisimile est accepisse tunc gratiam, quantum pura creatura capere potest, non igitur habuit postea, quo ultra progrediretur.

Hæc verò sententia mihi probabilis non est, quare sine vlla dubitatione dicendum existimo, potuisse Virginem post filij incarnationem crescere in gratia. Ita sumo ex Diuo Thoma, dicta quæstio. ne 27. articulo quinto, ad secundum, vbi triplicem perfectionem gratiæ Virginis distinguit: primam qua disposita fuit, vt esset idonea mater Christi: secundam, quam accepit in conceptione Christi: tertiam, quam habet in gloria. Et quamuis expressè non dicat hanc vltimam, & consummatam gratiam in intentione fuisse maiorem ceteris: tamen reuera hoc etiam intendit, ita enim præfert tertium statum secundo, sicut secundum primo: & similia habet opusculo 60. articulo tertio. Et eandem doctrinam alijs verbis insinuat Rupertus libro sexto in Cantica, non longe à principio, dicens Virginem in sua prima sanctificatione fuisse vt auroram, in filij conceptione vt lunam, in morte vt solem, quia semper perfectiorem gratiam habuit. Et sub hac ipsa metaphora Aurora explicauit optimè eandem doctrinam Bonauentura in speculo Mariæ capite 9. & Bonauent. 11. expressius docuit hanc conclusionem Durand. Durand. in tertio, distinctione 3. quæstione 4. dicens, licet Beata Virgo post filij conceptionem non potuerit peccare, potuisse tamen mereri, quia erat purè viatrix. Idem Gabriel. ibi quæstio. 2. articulo 3. dub. 1. Gabr. inde enim probat Virginem habuisse libertatem ad actus præceptos, etiam post filij conceptionem, quia

Bernard.

Scotus.
Almain.
Richar.
Alens.

D. Thom.

Bern. Sen.

Damas.

D. Thom.

Post Christi
incarnationem
crescere in gratia
Virgo potuit.

Rupert.

Bonauent.

Durand.

Gabr.

P 4 quia